

LECTIO TERTIA

Imperium Romanum

Ecce tabula imperii Romani! Imperium magnum est, multas provincias habet: Achaiam,

Macedoniam, Aegyptum, Hispaniam, Galliam et ceteras provincias.

Pannonia quoque provincia Romana est.

Incolae Pannoniae Pannonii sunt: multum laborant, agros colunt.

Vita incolarum operosa est.

Viae longae ad oppida ducunt.

Roma commercium cum provinciis habet.

Viri Romani hic quoque imperium patriamque defendunt, contra populos finitimos, barbaros

pugnant. Magistratus Romani incolas regunt, res publicas administrant.

Monumenta vitae Romanae, oppidorum Romanorum, (Aquinci, Savariae, Scarabantiae, Arrabonae,

Gorsii et ceterorum oppidorum) hodie quoque videmus. Amice, oppida Romana Pannoniae

clara sunt!

Colloquium

- Monstro tabulam imperii Romani! Videsne, mi fili, Romam?

- Video. Fluvium quoque Romae, Tiberim, monstro.

- Etiam provincias hic videmus. Ecce Pannonia! Videtisne oppida clara?

- Videmus. Monstramus etiam Gorsium, unde viae in alia oppida Pannoniae ducunt.

- Imperium magnum est. Laudatisne famam imperii Romani?

- Non famam imperii, sed cultum humanum Romae laudamus.